



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theses Historico-Theologicae Pertinentes Ad Anteriores Theses De Gratia, Peccatis Ignorantiae, Probabilitate & Charitate

Huygens, Gommarus

Lovanii, [1683?]

Pertinentia.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40464

blicæ quàm privatis hominibus perniciem adferentes. Quot iudices corruptit secunda in-
 ter damnatas ab Innocentio XI. *Probabiliter existimo iudicem posse judicare etiam secundum sen-
 tentiam minus probabilem.* Quot Epicureos fecit illa: *comedere & bibere usque ad satietatem ob
 istam voluptatem non est peccatum, modo non obstat valetudini, quia licite potest appetitus naturali
 suis actibus frui!* Quam multos fraternâ charitate spoliavit hæc: *non tenemur proximum dili-
 gere actu interno & formali!* quàm multas proles ad flammâs infernales detrusit 35. inter
 damnatas de procurando abortu! Per ejusmodi sententias civitas integra, Provincia aut
 Diocesis tota, & integrum quandoque regnum scandalis involvi potest, in uno superiore
 qui per restrictiones mentales num. 26. per Simoniam num. 45. per promotionem indig-
 ni aut minus digni num. 47. ab Innocentio XI. proscriptas in hujusmodi munia se intrudic
 vel per calumnias n. 43. damnatas immeritò ab ejusmodi officiis excluditur. Has ceteras-
 que propositiones ob laxitatem nimiam damnatas, aliasque ejusdem farinae de laxitate
 etiam suspectas nec modò videmus, nec ante earum condemnationem vidimus ab Adver-
 sariis nostris vel in speciem culpâri eâ acrimoniâ quâ culpant sententias nostras de refe-
 rendis actibus in Deum, & de obligatione Deum semper morali quodam modo loquendi
 amore prædominante amandi. Si liber aliquis aut Theses defendant ejusmodi sententias de
 Charitate, contrâ hæc eorumque auctorem clamatur tanquàm contrâ totius Theologie
 perniciem; & intereâ nihil contrâ auctores à quibus perniciosas illæ sententiæ, vel aliæ
 ipsis affines probantur, defenduntur, inculcantur: nec contra illum quidem qui anno
 1645, repetito trigiesies octies prælo iterum editus, ad minus 20. propositiones, quas
 Innocentius XI. scandalosas & in praxi perniciosas appellat, complectitur. Et quod am-
 plius, in ejusmodi sententiarum condemnationum defensionem ediderunt partem quin-
 tam & sextam speciminis famosi, quod in memoriali Hispanico veluti irrefragabilis au-
 ctoritatis citatur.

P E R T I N E N T I A.

Si gratia sufficiens requiratur ad libertatem, gratia non est gratia, nec magis pro illa
 quàm pro acquirendo libero arbitrio orandum.

I I.

Si Propositiones 76. damnata à Pio V. & Gregorio XIII. rectè à quibusdam vocentur
 Bajana, quia à majori parte, ut putant, sumenda est denominatio; quo nomine compen-
 sandæ erunt 65. à SS. Domino Innocentio XI. condemnata, sumendo pariter denominatio-
 nem à majori parte?

I I I.

Caramuel dicit: Concludendum est in materia politica tot esse sententias, quot Rerumpu-
 blicarum capita: nec damnandum P. Cottonem, qui adhaesit cummuni Gallorum sententiæ;
 & rogatus, Quid si essetis Romæ? respondit, mutaretur cum aurâ animus, sentire-
 mus ut Romæ. Nunquid hic facilius est negare antecedens quàm consequentiam?

I V.

Ad Ecclesiæ notas spectat doctrina & morum sanctitas: quidni ergò ad Ecclesiæ notas
 spectet doctrina & morum impietatem arguere?

F I N I S.

8